Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2067
Quelle:
Copyright:

easdem sacras functiones. Incipit: *Ad fructus uberes, quos in agro dominico* &c. Nullis notis chronologicis munitum; sed extat inter *Privilegia cit. n.* 68. datum *apud urbem ueterem.* IIII. *Idus Januarii* pontificatus *anno primo*, id est, 1282.

VIII. *fol.* 94. p. 2. Gravamina *Praelatorum Franciae* contra supra dicta *Mendicantium Privilegia.* Initium: *Occasione priuilegij huius inter prelatos et religiosos predictos utriusque ordinis super tribus altercatio est exorta* &c. Tria haec sunt, quod *Mendicantes* adserant, licere sibi praedicare non tantum sine venia *Episcoporum*, sed etiam iis invitis; dein posse se absolvere etiam in *Casibus* Pontifici reservatis; denique homines apud se de peccatis confessos non teneri de iisdem apud *Parochianos Presbyteros* confiteri. Ex decursu patet Gravamina haec delata esse ad *Nicolaum* IV. qui an. 1288. electus fuit, idque ex Decreto Concilii *Remensis* anno praeced. celebrati, quod habes T. XIV. *Collect. Concil.* edit. *Venetae col.* 1077. Ab hoc vero, qui ipse ex *Ordine Min.* adsumtus fuisset, rem in medio relictam queritur *Egass. Bul. suprac.* T. III. p. 507. qui pluribus bella isthaec *nullos habitura triumphos* persequitur, quin tamen Scriptum praesens inserat, quod ineditum putem.

In Codicis theca anteriore legitur: *Ex bethlehemiticis*, id est, ex Codicibus olim ad Ecclesiam *Pragenam* dictam *Bethlehem*, in qua *Job. Hussus* ad concionem dixerat, pertinentibus. Folio praevio alia manus adscripsit: *Habui dono a Mystopolo* (Administratore Archiepiscopatus pro Utraquistis) *24 aprilis 57. pragæ.* Thecae demum posticae locus quidam *Augustini* bohemice redditus adhaeret.

DXLV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 20. f. per duas columnas probe exaratus, rubricis distinctus, olimque ad *Pragense Caroli IV. Collegium* pertinens Primo inscribitur: *Iste liber tractat de periculis que euenient circa finem mundi.* Et mox rubro: *Tractatus breuis de periculis nouissimorum temporum ex scripturis diuinis exceptus.* Initium Prologi: *Ecce uidentes clamabunt foris* &c. *Guilelmi de S. Amore* τȣ Μισομοναχȣ Opus, in XIV. *Capita* distinctum, *Codd.* pluribus indicatum, et inter Ejus *Reliqua* an. 1632. ficto *Constantiae* nomine p. 17. 4. impressum. Caput *ult.* nobis ita finitur: *Illi ergo predicatores qui procurant amicicias huius seculi non sunt ueri apostoli sed pseudo et maledicuntur a deo et ihesu christo domino nostro per infinita secula seculorum Amen.* Pro quo *Edita* integram *paginam* ultra excurrunt. Verum nobis prolixus *Augustini* locus: *Sunt quidam in ecclesia christi qui volunt esse humiles sine despectu — omni ueritate carentes,* 316